FRANCKESCHE STIFTUNGEN

Franckesche Stiftungen zu Halle

Otto Ludewig von Eichmann ... Königl. Preuß. Geheimenraths auch von verschiedener gelehrten Gesellschaften Mitgliedes Sammlung kleiner Abhandlungen ...

Eichmann, Otto Ludwig

Halle, 1782

VD18 14445522

XXVII. Oratio De Iure Germanico Civili Omnibus Litibus In Foro Obvenientibus Sufficiente, In Iuris Utriusque Doctoris Inauguratione Publice Recitata Ab O. L. De Eichmann I. U. D. Prof. Publ. Ordin. ...

Nutzungsbedingungen
Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.
Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.
Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use
All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.
Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.
For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-190501

Visual Library

XXVII.

ORATIO DE JVRE GERMANICO CIVILI OMNIBVS LITIBVS IN FORO OBVENIENTIBVS SVFFICIENTE, IN JVRIS VTRIVSQVE DOCTORIS INAVGVRATIONE PVBLICE RECITATA AB O. L. DE EICHMANN J. V. D. PROF. PVBL. ORDIN. ET DIVERSAR. SOCIETAT. MEMBR.

Magnifice Academiae Rector, Amplissime et Consultissime hujus Universitatis Curator, Plurimum Venerandi, Consultissimi, Experientissimi, Acutissimi omnium Scientiarum Professores, Viri Celeberrimi et Collegae Honorandi, Cives, Hospites et quotquot adestis varia dignitate, ordine, mihi publice privatimque colendi Auditores. Tu tandem spes Ecclesiae, Reipubicae, Generosa et Nobilissima Studiosae juventutis corona, Patriae Parentumque Amores, meae deliciae.

De *Jure Civili Germanico Universali* plures egerunt. *Joannem Samuelem Fridericum Boehmer*, ornamentum Viadrinae plane singulare, *Carolum Henricum Dreyer*, *Joannem Petrum de Ludewig* et *Fridericum Henricum Mylium*

Mylium silentio praeterire nequeo [a]). *Ludewigio* [b]) et *Mylio* [c]) hoc argumentum praecipue curae cordique fuit. Singularia enim opuscula de *Jure Germanico Civili Universali* in lucem emiserunt. Verum enim vero nemo, quantum ego quidem scio, de *Jure Germanico Civili sufficiente omnibus litibus in foro obvenientibus*, curatius et ex instituto egit. Nihilominus tamen hanc virtutem legibus patriis nonnulli detrahere conantur. Operae pretium hanc ob rem esse, censui, Juris Teutonici causam suscipere, idque eo magis in animum induxi, quo magis haec prolusio summis in utroque Jure honoribus conferendis apta videtur. Neque hoc argumentum usu destituitur. Jus Romanum enim tantum in

a) Citat hos omnes, praeter *Ludewigium*, Vir Celeberrimus *Carolus Fridericus Walchius* in libello, cui titulus: Vorbereitungsgründe zur Teutschen Bürgerlichen Rechtsgelahrheit *pag. 20.* additque Virum Perillustrem Liberum Baronem *Henricum Christianum a Senckenberg* et *Fridericum Theophilum Struvium.*

b) *Diurn. Halens. An. 1736. Num. 69.* Von Uebereinstimmung der meisten Europäischen Gesetze. Num. 70. Fortsetzung der Harmonie Europäischer Gesetze mit dem Teutschen Recht. Num. 71. Warum die Europäischen Völker in der Sprache, Sitten und Gesetzen so genau mit den Teutschen übereinkommen.

c) Dissertationem *de genuino Juris Germanici Universalis Civilis conceptu* conscripsit.

subsidium receptum est, sive tunc eo utimur, si Jus Germanicum deficiat. Sanxerunt hoc tam *Leges Imperii*, quam *Territoriorum Germaniae*. Patet verbi gratia ex *Ordinatione Camerae Imperialis* [d]), *Judicii Aulici* [e]), *Constitutione Criminali Carolina* [f]) *et Recessu Imperii MDCLIV.* [g]) nec non ex *Ordinatione Judicii Aulici Cellensis*, *Cancellariae Ducatus Brunsuigo - Guelpherbytani Augusti*, *Judicii Aulici Moguntini*, ex *Ordinatione Judiciorum inferiorum Palatina*, *Judicii Aulici Monasteriensi*, *Ordinatione Judicii Aulici Brunsuicensi Henrici Junioris*, *Jenensi Ecclesiastica*, *et Politica Magdeburgensi* [h]), quibus sexcentae aliae accedunt, quas catalogus bibliothecae

d) *Tit.* LXXI. von des Kayserl. Cammerrichters und der Beysitzer Eyd pag. 565. in *Joannis Jacobi Schmaussii Corpore Juris Publici S. R. I. Academico.*

e) *Tit. I. §. XV. pag. 932. et 933. c. l.*

f) *Praef. et Art. 140.*

g) §. *105.* pag. 494. in *Alleg. Corp. Jur. Publ. Cf. Discurs. Praelimin.* quem *Sam. Stryckii Us. Modern. Pandectar.* praemisit §. XXVII. et *Joann. Ad. Koppii* Auserl. Proben des Teutschen Lehnrechts, I. Th. ibique: Vorber. von dem wahren Gebrauch des Römischen und Longobardischen Lehnr. in Teutschland.

h) *Confer. Joann. Salom. Brunquell* eröffnete Gedanken von dem Teutschen Stadt- und Landrecht und desselbigen nothwendigen Excolirung §. XXVIII. et XXIX.

Franckesche Stiftungen zu Halle

cae *Heumannianae* [i]) et meae partim impressas [k]), partim ob raritatem scriptas exhibet. Imo *Jus Provinciale Borussicum* facultatem Jus Romanum excitandi et secundum illud lites decidendi causarum patronis et judicibus plane denegat, nihilominus tamen statuta et privilegia confirmandi spem facit [l]). Dum vero jam ad thematis mei expositionem transeo, pictorum morem imitari cogor, qui in exigua tabula plures homines expressuri, per compendium id faciunt, nonnullorum integrum corpus fingentes, aliorum tantum vultus et oculos, interdum etiam pedes duntaxat ostendentes, vel agendum mihi, quod terrarum mariumque mensores solent, qui dum totas provincias maximaque regna in compendium aliquod redigunt, maxime illustria tabulis suis exiguo puncto designant potius, quam depingunt. Quae vero cum ita sint, auditores omnis ordinis et dignitatis honoratissimi, ita autem esse accepimus, ad vestram benevolentiam mihi confugiendum est. Innata ingenii vestri luce ex umbris eruite et in claritatem veritatemque traducite, quae verborum vitio occulta et obscura erunt. Quod si obtinuero, animus mihi redibit, vox fau-

i) Prodiit Altdorfii anno MDCCLXII.

k) Verbi grat. *Ordin. Jud. Aul. Lippiac. Tit.* III. des Hofricht. und Beysitz. Eyd.

l) P. I. Tit. II. §. V.

Franckesche Stiftungen zu Halle

faucibus, uti antea, non haerebit, membraque non trepidabunt.

Jus peregrinum Latii in subsidium, vel si jus patrium, jus praestantissimum deficiat, receptum esse, audivimus. Sed raro hodie deficere, adstruere, vix dubito. Non curamus *Joann. Otton. Taborem*, cujus bilem *Hermann. Conringius*, cum libellum de *origine Juris Germanici* edidisset, adeo movit, ut sibi persuaderet, id eum potissimum dare operam, ut omissa Juris Justinianei et Imperatorii rectitudine in superiorum seculorum barbariem ab omnibus damnatam homines relabantur [m]). Nihili facimus consilium *Caroli Girardi* suadentis, ut tantum *Jure Romano* in corpus relato utamur [n]). Non timemus Turcas aliasque calamitates ob infidelitatem in hac causa. Neque nos ideo miseratione dignos credimus. Nihilominus tamen non defuerunt ejusmodi sententias foventes [o]). Exclamandum hanc ob rem omnino est cum beato *Joanne Theophilo Heineccio*: O Germanos Germanico nomine indignissimos! quibus quicquid a Germanis profectum est, barbarum

m) *Praef. Heinecc. Corporis Jur. Germ. Antiqui*, quod *Petr. Georgisch* in lucem emisit.

n) Perillustr. *a Senckenberg Meth. Jurisprud. pag.* 188.

o) *Ejusd.* Gedanken von dem jederzeit lebhaften Gebrauch des uralten Teutschen Bürgerlichen Rechts *pag.* 37. et 55.

barum videtur p). Corpora nimirum Juris Germanici habemus, ex quibus Jura Teutonica apparent. Collegit enim *Petrus Georgisch* consilio viri incomparabilis *Heineccii*, *Legem Salicam*, *Legem Ripuariorum*, *Legem Alamannorum*, *Bojuuariorum*, *Decretum Thassilonis*, *Legem Burgundionum cum Additamentis*, *Legem Frisionum*, *Additionem Sapientium*, *Legem Angliorum et Werinorum*, *Saxonum*, *Capitularia veterum Regum*, *Carlomanni*, *Pippini Principis et Regis*, *Caroli Magni*, *Ludovici Pii*, *Leges Longobardorum*, *Capitularium Caroli Magni et Ludovici Pii Libros septem*, *Capitularium Additiones quatuor*, *Codicis Legis Wisigothorum libros duodecim*, *et Edictum Theodorici Regis*. Addendae sunt *Leges Anglorum*, quas *Wilkins*, et *Friderici secundi Constitutiones Graecae*, quas *Montefalconius* exhibent, *Constitutiones Siculae*, *Leges Normannorum* q), *Jus Austriacum vetustissimum* r), *Leges Wisbienses et Obstalbomicae*, *Scaniae*, *Westrogothorum*, *et Suenonum*, *Aulicae Regni Majoricani*, quae varias consuetudines *Vandalorum* complectuntur, nec omittendum *Jus Uplandicum*, quae se collecturum promisit Vir Celeberrimus *Carolus*

p) *Praef. Heinecc. cit.*

q) *Joann. Petr. a Ludewig Tom. VII. Reliq. Manuscript. pag. 149.* eas exhibuit.

r) *Tom. IV. pag. 3. cit. Reliq.* illud communicavit. Adde tamen *de Senckenberg vision. de collect. legum Germ. p. 213.*

lus Ferdinandus Hommelius [s]). Siſtit *Corporis Juris Germanici Publici et Privati ex medio aevo tomus primus*, quem e Bibliotheca Perilluſtris Liberi Baronis *a Senckenberg* Vir Eruditiſſimus *Guſtavus Georgius Koenig a Koenigsthal* emiſit, quemque liberalitati tantorum Virorum debeo, et quidem *Pars Prima Jus Caeſareum*, *Ordinem Judiciarium Juris Provincialis ſuppletum et emendatum ac parte ſecunda auctum*, *Ordinem Judiciarium Juris Feudalis integritati reſtitutum.* Continet *pars ſecunda collectionem diplomaticam de rebus civitatum et colonariis*, *Ordinationem Judicialem Haſſiacam Anni MCCCCLV. Librum Judiciarium, qualis in Auſtria obtinebat.* Omnes ſine dubio, quibus

de meliori luto finxit praecordia Titan,

avide expectabunt *Codicem regularum juris* in re Germanica ditiſſimum, nec non *verborum ſignificationum*, ſive terminorum Juris Germanici. Quid itaque mirum, ſi perilluſtr. L. B. *a Senckenberg* Jus Germanicum ampliſſimum cenſeat, addatque, quod omnes caſus ex eo decidere liceat? Quid mirum, ſi Germanis juris divitias tribuat, et paupertatem jurisprudentiae patriae neget [t])? Accedunt varia *jura provincialia*, innumeraque *ſtatuta*, quorum ope cognitio Juris Germanici promovetur,

s) *Liter. Jur. pag.* 121. et 122.

t) *Alleg. meth. Jurisprud. pag.* 188.

vetur, magisque promoveretur, si quis, cui Jus Teutonicum curae cordique est, vel omnia, vel plurima colligeret, quod consilium Vir Celeberr. musisque meis amicissimus *Carolus Fridericus Walchius*, uti ex literis ad me missis intellexi, cepit [u]). Multas enim reliquias juris majorum nostrorum sistunt. Pertinent huc, si temporis rationem habemus, *Burchardi* Episcopi *Leges et Statuta Familiae S. Petri an.* MXXIV. praescripta, *Leges Bambergenses de Advocatia* Seculi XII. *Jus Susatense*, *Statuta Slesvicensia*, *Vindobonensia*, *Friburgensia*, *et Argentoratensia*. Ex Seculo XIII. ad nos pervenerunt: *Privilegium Stadense*, *Jura Schwerinensia*, *Brunsuicensia*, *Lippstadiensia* [v]), *Lubecensia*, *Luneburgensia*, *Jus Provinciale Hunsingoicum*,

u) Jam plures partes hujus collectionis edidit. Sed et *Celeberr. Schott* nonnullas debemus.

v) Non solum *Pufendorff.* in *Adpend. Tom III. Observat.* ea exhibet, sed et *Joann. Dieder. v. Steinen* in *P. 4.* der Westphäl. Geschichte pag. 642. Dantur praeterea Statuta Lippstad. quibus titulus: Der Sammt Stadt Lippe Statuta und uralte Gewohnh. so sich zum Theil in denen von Bürgermeister und Rath und Bürgerschaft in an. 1575. concludirt und schriftlich verfasseten Punkten gründen, theils aber auch von undenklichen Zeiten her durch unveränderten Gebrauch und unverbrüchliche Observance hergebracht und darneben bis hierzu dermaßen sorgfältig conservi-

goicum, *Statuta Altenburgensia*, *Vitodurensia*, *Ulzensia*, *Hamburgensia*, *Rigensia*, *Soltquellensia*, *Augustana*, *Neostadiensia*, *Hamelensia*, *Isenacensia*, *Flensburgensia*, *Franckenbergensia*, *Jus Terrae Novae*, *Jura Brackelensia*, *Statuta Casselana*, *Speculum Saxonicum*, *Suevicum*, *Jus Provinciale Rustringense* aliaeque partes *Juris Frisiae Orientalis*. Jura Seculi XIV. sunt: *Leges Brockmannorum*, *Municipales Cellenses*, *Statuta Erfordiensia*, *Halensia*, *Culenburgensia*, *Diepholtana*, *Jus Provinciale Femariae*, *Leges Verdenses*, *Aquisgranenses*, *Eimbecenses*, *Wismariensis*, *Lipsienses*, *Jus Bavaricum*, *Francofurthanum*, *Goettingense*, *Osterizense*, *Servestanum*, *Goslariense*, *Culmense*, *Schwertense*, variarum *curiarum Jura in Westphalia*. Ex Seculo XV. huc refero Statuta *Huxariensia*, *Graefenthalensia*, *Wittenbergensia*, *Statuta Bremensia*, *Coloniensia*, *Ripensia ac Obsseldensia*, *Jura Thuringiae et Saxoniae*. Ad Seculum XVI. pervenio. Ea tempestate latae sunt *Leges Norimbergenses*, *Wormatienses*, *Misnenses*, *Brandenburgenses de successione*, *Ulmenses*, *Hassiacae*,

serviret, daß darnach in judicando von allerseits Obrigkeiten dieser Stadt in Contradictionsfällen pronunciiret worden. Occurrunt in iis variae reliquiae Juris German. *Dissert. de cauta applic. L. I. C. Ubi Pupill. educar. deb.* quae *Duisburgi* an. MDCCLXI. prodiit, et quam haec collectio *pag. 202. seq.* sistit, specimen earum exhibet. Alio tempore ea cum JCtis communicare, fere in animum induxi.

Franckesche Stiftungen zu Halle

siacae, *Hennebergenses*, *Otterndorfenses*, *Statuta Brigensia et Wolaviensia*, *Leges Saxonico - Ernestinae*, *Jus quatuor Hardarum Frisicarum Praefecturae Tunderensis*, *Leges Dithmarsiae*, *Wurtenbergenses*, *Monasteriensis*, *Anhaltinae*, *Tyrolenses*, *Rostochienses*, *Borussicae*, *Gothanae*, *Osterodenses*, *Ducis Guilielmi*, quae *Dusseldorpii* prodierunt; *Territorii Hagensis*, *Palatinae*, *Lusatiae superioris*, *Hadelenses*, *Styrenses*, *Vinarienses*, *Toenningenses*, *Helmstadienses* scriptae [w]), *Eiderstadenses*, *Henricostadenses*, *Consultationes Constitutionum Saxonicarum*, *Augusti Ordinationes et Constitutiones*, ac *Jus Provinciale Solmense*. Ne autem patientia vestra, Auditores Honoratissimi, abutar, leges seculi XVII. et XVIII. silentio praetereo [x]), relatisque tantum addo *Statuta Holzmindensia* [y]), *Bitterfeldensia* [z]), *Jura*

w) Consultiss. *Joach. Died. Lichtenstein Epist. III. Observat. Historico - Jurid. ex Diplom. Helmstad. sistens et Diurn. Brunsuic. an. 1748. Num. XCI. pag. 1843.*

x) Eas autem enarrat Celeberr *Joann. Steph. Pütter in Append. II.* des Entwurfs einer Jurist. Encyclopädie *pag.* 161. *seq. Add.* Consultiss. *Joann. Christ. Henr. de Selchow Elem. Jur. Germ. Priv. Hodiern. pag. 69. seqq.* praecipue vero *specim. biblioth. Jur. Germ. provinc. et statut.* quod MDCCLXXXII. prodiit.

y) Mentio eorum fit in *Diurn. Brunsuic. an.* 1748. *pag.* 1797.

z) *Vid. Gebh. Christ. Bastinelleri Specim. sist. singul. Statutor. municip. Bitterfeld.*

Jura Bilefeldensia [aa]), *Bochumensia*, *Clivensia*, *Emmericensia*, *Resensia*, *Genepensia*, *Jochensia*, *Essendiensia*, *Tremoniensia*, *Duisburgensia*, *Jus* nec non *Consuetudines Latonicas Principatus Moersensis* [bb]), *Leges municipales Weidenses* [cc]), *Sulenses* [dd]), *Werdenses*, *Jura Soldinensia*, *Sedinensia*, *Julinensia* [ee]), *Ordinationem Politicam* urbis *Monasteriensis*, *Statuta Apenradensia* [ff]), *Jus Frisiorum Terrae Eiderstadt*, *Everschop et Utholin* [gg]), *Curiae S. Panthaleon.* in *Comit. Marcano*, *Jus Gelriense*, *Provinciale Saraepontanum* rarissimum [hh]), *Lotha-*

aa) Ravensbergische Merkwürdigkeiten III. pag. 29. 96. 107. seq. et passim h. l. *Vid.* et *Biblioth. cit. pag.* 240. 266.

bb) In usum Jurisprud. German. citat. jura et consuetud. Laton. alio tempore communicare, apud animum constitui.

cc) Promisit eas Vir doctiss. *Henr. Theophil. Francke* in *Epist. Gut Hyl*, *Votum Solemne Veter. quorund. Germanor.* uti *Consultiss. Christ. Weidlich* in P. 2. der zuverl. Nachr. von jetztl. Rechtsgel. *) pag. 278. observat. *Cf. Biblioth. alleg. pag.* 190.

dd) *Vid.* Celeberr. *Joann. Paul. Reinhard.* Samml. von Schrift. die das Frankenl. betreffen 1. Th.

ee) *a Ludew.* gel. Anz. *Tom.* I. *pag.* 186. ea allegat.

ff) Excellentiss. *Joann. Car. Henr. Dreyer* Samml. vermischt. Abhandl. zur Erläuter. der Teutschen Rechte und Alterthümer. 3. Theil.

gg) Collect. *cit.*

hh) Occurrit in *Catal. Bibl. Gottl. Aug. Jenich. pag.* XXXVI. *Num.* XXX. *Vid.* et haec collect. mea opuscul. VII. *pag.* 74.

Lotharingiae [ii]), *et Rugense;* quorum ex parte alii ejusmodi jura enarrantes vix mentionem injiciunt [kk]). Occurrunt praeterea in Legibus *Anglorum*, *Suecorum*, *Polonorum*, *Hungarorum*, *Bohemorum* aliorumque multae juris patrii reliquiae. Nemo non hanc ob rem usum intelligit, quem in explicandis legibus Teutonicis praestare possunt. Quod si his jungantur innumerae chartarum et diplomatum collectiones, verbi gr. *Ludewigii*, *Schoettgenii*, *et Kreysigii*, *Gudeni*, *Lenzii*, quibus quotidie aliae accedunt, et quarum ego novam meditor, Juris Germanici defectus vel nullus, vel rarissimus erit. Optandum omnino esset, ut aliquis Jus *Germanicum diplomaticum* ex ejusmodi documentis conscriberet, quod haud difficulter fieri posset. Verum ad alia argumenta me converto, ex quibus denuo apparebit, quod ex *Jure Germ.* omnes lites forenses dirimi queant. Juris Latii interpretes analogiam in subsidium vocare, tam certum est, quam quod certissimum. Quis hanc ob rem

ii) Perillustr. *a Senckenberg Method. Jurisprud. pag.* 188.

kk) Praeter relata alia indicantur in *Catal. Biblioth.* viri etiam post ipsa fata Celeberr. *Joann. Heumanni* et P. II. Der ausführl. Beschreibung der Gerade und des Heergeräths, *G. A. Hoffmanni* Cf. etiam *Cod. diplom.* quem *Just. Christ. Dithmar.* adjecit *Annal. W. Teschenmacheri*, praecipue vero *vid. Celeberr. a Selchow Biblioth. alleg.*

Franckesche Stiftungen zu Halle

id vitio vertere poterit Doctoribus Jur. Germ.? Plurimae controversiae vero hoc modo ad finem perduci poterunt, minimeque jure peregrino Romanorum opus erit. Tandem, si Corpora Juris German. sique reliqua, de quibus dixi, non sufficiant, ex Jure Naturae lites decidi poterunt et nihilominus secundum Jus Teutonicum diremtae erunt, idque ob mirum consensum inter Jus Naturae et Germanicum statuendum dicendumque [ll]). Frustra obmoveretur, quod Jus Rectae Rationis ob dissensum jureconsultorum saepe dubium, saepe incertum sit. Nam praestantissima hujus juris systemata adhibeantur, idemque Juri Romano objici potest, uti ex libris huc pertinentibus Illustriss. *a Cocceji*, *Bronchorstii*, *Bergeri*, *Fachinei*, *Merendae*, *Struvii* satis superque apparet. Tantum itaque abest, ut malum minuatur, ut potius augeatur, cum Jus Romanum hodie minime omnibus negotiis saepe obviis par dici queat. Ut fides dictis concilietur, exempla in medium proferre decrevi. In scenam hanc ob rem produco Jus Venat., Foresti, Metallifodinarum, Salinarum, Grutiae, Jus Weichbildicum, Pacem Burgensem, Jus Stapulae, Geranii, Emporii, Praefecturarum, Nobilium, Natalium, Clypeorum et Vexillorum, distinctionem Amtsassiorum et Schriftsass., Jura Ci-

ll) Curatius de hoc consensu egi *Specim.* singulari de *praestantia juris German. antiq. in Fascic. I. Opusc. Societ. Lit. Duisburg.*

Civium, Mercatorum et Opificum, Jus Braxandi, Hospitiorum Publicor., Jura Rusticorum et Georgica, Hominum Proprior. Statum, Jura Mortuar. Operas Rustic. Jus Hortorum, Pascendi, Bonorum Censiticor. Lassiticor. Praedior. curmed. Landsideliae, Villicorum, Pensionum Promobl. Jurisdict. Patrimon. Jus Decimar. *nnn*). Reliquum est, ut Vir Consultiss. *Joann. Christian. Guilielm. Sybel*, Judex et Notar. optime meritus ex moribus et institutis majorum sermonem habeat et ut Doctoris utriusque Jur. dignitas in eum conferatur. Hoc itaque praemisso novus honor, diligentiae et eruditionis praemium, ei destinatus est.

Quod igitur Deus Optimus Maximus felix, faustum fortunatumque esse jubeat, ego *Otto Ludovicus de Eichmann*, J. U. D. et P. P. O. auctoritate Imperiali et Regia te *Joann. Christian. Guilielm. Sybel*, *Assindiensem*, Judicem et Notarium praeclare meritum, U. J. Licentiatum creo, renuncio, edico.

Verum, antequam pedem ulterius promovere potes, officii tui ratio exigit, ut jurejur. te ad justitiam colendam adstringas. A te hanc ob causam, Vir Nobiliss. Dom.

nnn) Consultiss. *Georg. Steph. Wiesand* Jurist. Handbuch pag. 1083. *et citat. Cramer. Progr. de conjungend. Jure et Antiquit. Stud.* nec non *Struben.* Nebenstund. ibique opuscul. 32. §. 16. *seqq.* quibus innumera alia accedunt, quae ex parte *alleg. l.* adducuntur.

Bongardt, qui Academiae huic es a ſecret. peto, ut formulam juram. praelegas.

Quod itaque iterum Deus immortalis felix, fauſtum et fortunatum eſſe jubeat, ego *Otto Ludovicus ab Eichmann*, J. U. D. et P. P. O. auctor. Imperial. et Reg. te I. C. G. *Sybel*, *Aſſind.* Jud. et Not. optime merit. J. U. Doctorem creo, renuncio, edico, proclamo. Tibi concedo omnia privilegia, omnes immunitates et honores, qui Doctoribus in S. R. I. competunt. Jam vero huic inaugurationi ſymbola ſolita addo.

Ab inferiori cathedra te ad ſuperiorem voco. Intelligis hoc ipſo, quod in ſublimiori loco conſtitutus, in oculis omnium hominum vivas, hisque doctrina et virtutibus praeluceas, neceſſe eſt.

Librum tibi trado primo apertum, quo commendatur induſtria in libris legendis.

Trado tibi etiam clauſum, et quidem eum in finem, ut et propriarum meditationum neceſſitas appareat.

Porro tibi pileum impono, qui dignitatem nobilitatemque indigitat, quarum nunc particeps factus es.

Praeterea annulum digito tuo induo, quo tibi publica fides in reſpondendo, cavendo judicandoque tribuitur.

Tandem oſculum tibi figo, quo dignus es ob honorem tibi collatum, et novam dignitatem ex animo gratulor.

Franckesche Stiftungen zu Halle